

decernendum intelligeret, coactis in Gallia copiis, ex Germania, Anglia, Scotia, Helvetiis auxilia petere decrevit. Sed cum ea vel itineris longinquitate, vel temporis mora haud cito in promptu fore cognosceret, nullum praesentibus rebus remedium opportunius arbitrabatur, quam si Henricum Navarrae Regem, regia prognatum stirpe, eandem fortunae aleam secum subiturum, sibi adjungeret. Verum ea in re in varias sententias praefconsultores scindebantur. Rex ipse anceps animi in magna consiliorum perplexitate versabatur: modo spe sublati, ea virium accessione foederatos opprimi posse; modo metu exagitatus, ne praeteritis bellorum successibus Principem exulceratum sibi sincere conciliaret. Qui a Navarrae conjunctione abhorrebant, *neque Regis securitati, neque decori atque existimationi convenire arbitrabantur, ad illius opem confugere, quem tot annos armis persecutus fuisset; qui regiae successionis proximus, in spem amplissimo gradu potiundi eveberetur; qui cuncta semper regnandi cupiditate minore habuisset: atque ut haec secus forent, Regis conscientia inferiora cuncta censeret oportere, quam turpi coinquinatam labe quis non arbitraretur, si cum eo, qui a catholica religione abhorrens, Summi Pontificis sententia a communione fidelium amotus esset, societatem iniret? Quid tandem ipsemet Pontifex, quid Hispaniarum Rex, quid alii Reges, Respublicae, Principesque catholici dicerent? Quid sibi subiecti, qui haereticorum odio arma induerant? Minime ambigendum videri, quin eodem, quo Navarrae loco a Pontifice censeatur, atque in Regem, foederatis suadentibus & incitantibus, anathematis fulmen contorqueatur: Philippum, qui religionis catholicae studiosissimus sit haberique velit, arma sumpturum: subiectos quoque, quod Henricus ad haereticorum sese partes traduxisset, in perduellionis crimine permansuros: spem omnem eos ad se aliquando trabendi amissum iri; si praesertim a Pontifice (quod minime dubium sit) sacramento solvantur: itaque omnia potius tentanda, quam cum Navarrae foedus ineundum.*

Contra qui secus, censebant, praesenti rerum necessitati parendum; eo loco redactas res esse, ut de publica tantum salute cogitandum sit, a qua Regum existimatio, amplitudo, for-